

178. QUAERES I. Quomodo Ag-  
gaeus (cap. 2, v. 7) dicere potuerit:  
ADHUC MODICUM EST, ET VENIET DE-  
SIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS; cum  
tamen a secundo anno Darii Hy-  
staspis, quo haec prophetia facta est,  
usque ad Christi adventum fluxerint  
anni plusquam quingenti? <sup>¶</sup> Hi an-  
ni modicum quid sunt respectu tem-  
poris elapsi ab orbe condito. Addit  
Arias Montanus idem tempus esse  
modicum respectu legis christiana  
ad finem usque mundi duraturae,  
quae tamen et ipsa in sacris literis  
hora vocatur (1): Filioli, novissima  
hora est.

179. QUAERES II. An ex Aggaei  
vaticinio (cap. 2, v. 7, 8 et 10) de  
brevi VENTURO DESIDERATO CUNCTIS  
GENTIBUS solide contra iudeos ostendit  
possit, Messiam iam venisse? <sup>¶</sup>  
Affirmative. Antequam autem id o-  
stendam, observo, quod cum iudeo-  
rum seniores, qui templi primi seu  
Salomonici magnificentiam et opu-  
lentiam olim (nempe ante captivita-  
tem babyloniam) viderant, postea  
templi secundi, quod soluta a Cyro  
captivitate babylonica aedificare coe-  
perant iudei, angustiam et pauper-  
tatem videntes, amare fleverint (2):  
Deus autem solaturus populum, et in-  
citaturus ut inceptae fabricae templi  
2. insistat, per Aggaem praenuntia-  
verit praerogativas templi secundi  
prae primo, seu Salomonico, eo quod  
ad templum hoc secundum Messias  
ipse venturus esset. Ita enim Ag-  
gaeus loc. cit. inquit: « Quia haec  
dicit Dominus exercituum: adhuc  
unum modicum est, et ego com-  
movebo coelum et terram, et mare  
et aridam. Et movebo omnes gentes:  
et veniet desideratus cunctis gen-  
tibus: et implebo domum istam glo-  
ria.... Magna erit gloria domus  
istius novissimae plus quam pri-

(1) Io. c. 2, v. 18.

(2) I. Esdr. c. 5, v. 12, 13.

mae: et in loco isto dabo pacem. »

Iam ex hoc vaticinio Messiam pri-  
dem advenisse, manifeste evincitur:  
quod sic ostendo. Vi huius vaticinii  
Messias ad templum secundum ve-  
nire debuit: ergo venit stante ad-  
huc templo secundo. SUBS. Atqui  
templum secundum pridem a Tito  
sub Vespasiano Augusto, funditus  
eversum est: ergo pridem et ante  
factam a Tito eversionem illam Mes-  
sias advenit. PROB. ANT. QUOD PRIMUM,  
quod nimurum, qui in tem-  
plum secundum venturus hic praenun-  
tiatur, Messias sit. Nam I. solus  
Messias dici proprie potest desideratus  
cunctis gentibus; sique vocatur  
Gen. 49, v. 10. Nec obstat, quod paulo  
aliter legatur in textu hebraico et apud LXX in hebraico quidem: *venient desiderium cunctae gentes*; apud LXX vero: *καὶ ἔργον τὸ ἐλεγτὰ πάντων τῶν ἑβραῶν;* et *venient electa omnium gentium*; non enim hae lectiones differunt a vulgata latina quoad sensum; nam in hebraico in verbo *בָּאֵן bau* est enallage numeri, hebraicis usitata; dum verbum duobus additum substans, quorum unum regitur ab altero (ut hic fit) convenit cum posteriore: exempla habes Gen. c. 4, v. 10: *Vox sanguinum fratris tui clamant ad me.* Iob c. 15, v. 20, c. 32, v. 7. Sisque in hebraico sensus est: *Veniet desiderium cunctarum gentium*, quod idem est, ac diceres: *veniet desideratus cunctis gentibus.* Vide hac de re cl. Widenhofer (3). Apud LXX vero *τὸ ἐλεγτὰ electa* idem est ac desideria: recte autem Messias sic dicitur *gentium desideria*, quia hic completurus erat earum desideria. II. Solus Messias promissam illam in memoria Aggaei vaticinio pacem, scilicet Deum inter et homines, de facto dedit. III. Item ab illo solo ma-

(3) Com. in Agg., c. 2, v. 7.

ior templi secundi gloria desumi-  
potuit; cum quoad cetera templum  
secundum templo Salomonico esset  
longe inferius. IV. Ipsa veteres rabbi-  
ni consentiunt in eo, quod memoratum Aggaei vaticinium de ad-  
ventu Messiae intelligendum sit.  
Sic in *Tract. Sanhedrin cap. Cheleg*,  
R. Akibha illud ita exponit: « Ad-  
huc unum modicum..... et adducam  
desiderium cunctarum gentium, de  
diebus Messiae et de rege Messia,  
et de tempore, quod fuit post de-  
structionem primae domus. » Ibi-  
dem alia extat expositio hoc modo:  
« Adhuc modicum, et commovebo  
coelum et terram; et postea veniet  
Messias. » Adde R. Isaac, qui in  
munimine fidei c. 34 vaticinium illud Aggaei de Messia explicat, etsi  
per *τὸ modicum* intelligat finem  
mundi.

PROB. ETIAM ANTEC. QUOD ALTERUM: scilicet in eodem vaticinio  
*Messiam venturum praedici ad tem-  
plum secundum.* Nam I. hoc patet  
ex particula demonstrativa *istam*:  
*implebo DOMUM ISTAM gloria*; et ne  
esset ulla aliter interpretandi libe-  
tas, in hebraico energice ponitur  
*hanc istam.* II. De illo templo hic  
sermo est quod respectu primi Sa-  
lononici multo erat vilius et an-  
gustius, ut flerent etiam iudei se-  
niores (1); ad quorum proinde an-  
imos erigendos Aggaeus a Deo  
missus est; sed templum hoc erat  
templum secundum post captivita-  
tem babyloniam sub duce Zoroba-  
bele restaurari coeptum; ut supra  
iam observavimus. III. Quia Ag-  
gaeus ait, haec a se praedicta post  
modicum eventura: *adhuc unum*

(1) I. Esdr. v. 12, 5, 15.

(2) Vide tractatum de Verbo incarnato  
cl. Holtzclaw dissert. 1, art. 5, pag. 71-  
74, aut alios theologos in tractatu de  
incarnatione.

(3) Commentar. in Agg., c. 2, v. 7.

modicum etc. Si autem de templo  
aliо, post templi secundi destruc-  
tionem futuro, sermo esset, falsum  
Aggaei locutus fuisset, cum iam  
ultra 17 saecula destructum sit tem-  
plum secundum; quin spes ulla af-  
fulgeat a longe, excitandi templi  
tertii. Imo hoc nunquam futurum  
est iuxta illud Dan. 9, v. 27: *Us-  
que ad consummationem et finem  
perseverabit desolatio.*

Hinc corruit Barbanellae iudei  
recentioris interpretatio, vaticinium  
Aggaei allatum de templo tertio ex-  
plicantis.

Quae autem adhuc alia argumenta  
contra nostram demonstrationem de  
adventu Messiae iam facto, ex allato  
Aggaei vaticinio petitam Barbanella,  
aliive afferunt, solide soluta in-  
venies apud theologos (2) passim,  
et apud Xaverium Widenhofer (3).  
Unde iis ulterius recensendis ac re-  
futandis supersedeo; cum mihi ad  
finem praesentis operis properan-  
dum sit.

## CAPUT XI.

### De Zacharia.

ZACHARIAS, hebr. זְכַרְיָה memoria  
Dei, vere memoria mirabilium Dei,  
synchronous seu coaevus fuit Aggeo.  
Laudat in prophetia sua et urget in-  
staurationem templi hierosolymita-  
ni (4): simulque monet iudeos, ne  
idola et vicia maiorum imitentur (5).  
Praedit varios eventus usque ad  
Christum, maxime quatuor monar-  
chiarum successiones (6): Christi  
autem vitam et passionem, pene in-  
star evangelistae recenset (7) eius-  
que regiam dignitatem et potentiam

(4) Vide Zachar. c. 1, v. 16, c. 4, v.  
9, c. 8, v. 9.

(5) Ibidem c. 1, v. 2-7.

(6) Ibid. c. 6, v. 1-9.

(7) Ibid. c. 9, v. 9, c. 12, v. 10, c. 13,  
v. 6.

insigniter commendat (1). Porro virtutibus et senecta gravem *Zachariam* decessisse in Iudea, et iuxta *Aggaeum* prophetam humanatum esse, scribunt *Epiphanius* et *Dorotheus* (2): ac in martyrologio romano adscribitur sanctorum catalogo die sexta septembbris. Adhaec creditur hic *Zacharias* esse ille, qui Matth. 23, v. 35 et Lucae 11, v. 51 dicitur occisus a iudeis *inter templum et altare*: qua de re plura invenies apud cl. *Weitenauer* (3), *Caesarem Calino* (4), bollandistas (5), aliasque.

180. QUAERES I. *Quo sensu Zacharias* (cap. 12, v. 2) *praedixerit*: *SED ET IUDA ERIT IN OBSIDIONE CONTRA IERUSALEM*. Quomodo, aut *qua occasione tribus Iuda Hierosolymam, Iudeae metropolim, obsidere potuit?* R. Huius vaticinii sensus non est, quod tota tribus Iuda Hierosolymam obsessura sit, sed duntaxat iudei perfidi et transfugae. Tales fuerunt *Iason* et *Menelaus*, qui profugi ad *Antiochum*, Hierosolymam obsiderunt et vastarunt (6). Item alii permulti, qui minarum et tormentorum *Antiochi* metu a iudaismo ad gentilismum, teste *Iosepho* (7) et ipso s. codice (8), apostatarunt.

181. QUAERES II. *Quid sentendum de expositionibus, quibus auctor libri HORUS dicti (9) quedam vaticinia Zachariae a se citata exponit?* R. Idem sentendum, quod de aliis eius expositionibus scripturisticis, quas esse fabulosas, impias, et prorsus gratis ac sine omni solida ratione confictas, iam ali-

(1) Ibid. c. 8, v. 7, 22 et 23, c. 14, v. 5 et 9.

(2) In vita *Zachariae*.

(3) In sua versione germanica bibliorum, Praefat. in *Zachariam* prophetam.

(4) In historia V. T. part. 6, c. 45.

(5) In commentario historico-critico mensis septembbris de s. *Zacharia propheta*

bi (10) iterato ostendimus. Addo unicum exemplum de *Zachariae* c. 14, v. 9, ubi dicitur: *Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus et erit nomen eius unum*, quem textum famosus auctor libri *Horus* dicti his verbis exponit: *Hic est ille locus, qui ad novum regimen purae aeternae lucis persarum alludit, quod in exordio futuri mundi, quando omnes planetae suas revolutiones peregerint, inchoandum erit, ut iam saepius ostendimus*. Debuisset idem auctor potius dicere: *Ut iam saepius commenti sumus*. Quis enim non videt, modo allatam huius auctoris expositionem citati textus esse putidam fabulam, ac impium ethnicae superstitionis partum? Nonne rationi, fidei, ac ipsi experientiae longe conformior est interpretatio, si cum s. *Hieronymo*, *Ruperto*, *Aymone*, *Vatablo* etc., dicamus, sensum citati versus 9 esse quod *Dominus rex super omnem terram*, a *Zacharia* praedictus sit Christus, quem ut Deum mundi dominum per praedicationem apostolorum agnoverunt et coluerunt omnes gentes? Et quamvis olim multi habent sint, et nominati Dii, ut *Jupiter*, *Apollo*, *Mars* etc., tamen fundata Christi religione, unus ab omnibus christianis gentibus colebatur et nominabatur Deus, puta Christus, qui solus verus est Deus, idemque cum Patre et Spiritu sancto. Tunc ergo, eversa idolatria seu cultu plurium Deorum, nomen unius Dei a gentibus orbis terrarum invocatum est. *Et erit nomen eius unum.*

§§ 2 et 5, tom. 2, mensis septembbris, ad diem sextam eiusdem mensis.

(6) II. Mach. c. 4. Vide etiam c. 5, v. 6 et 15.

(7) L. 42 antiq. c. 6.

(8) I. Mach. c. 1, v. 55.

(9) Vide supra n. 5, 57, 84 et 143.

(10) Ibidem.

Certe hic sensus omnino conformis est sanctitati et zelo *Zachariae* iudeos a vitiis, ab idolatria, inobedientia, apostasia (1) tantopere dehortantis; minime vero prior ille sensus ridiculus et superstiosus de futuro novo regimine purae aeternae lucis persarum. Recole etiam quae iam alibi (2) contra ficticias *Hori* interpretationes librorum propheticorum attulimus.

Taceo similes alias futilles expositiones, quibus quaedam *Zachariae* prophetae vaticinia larvatus ille *Horus* in perversum et impium sensum detorquere studet. Easdem primis explosit et refutavit cl. *Sandbühler* in noto suo opere contra *Horum* edito (3).

## CAPUT XII.

### *De Malachia.*

MALACHIAS, hebraice מִלְאָכֵי *Malachi*, Nuncius vel *Angelus Demini*, e tribu *Zabulon* post redditum populi e *Babylonia*, natus in *Sopha*, adhuc iuvenis fato functus, iuxta maiores suos in proprio agello repositus est, inquit s. *Epiphanius*, *Dorotheus* et *Isidorus* (4). Porro is arguit in sua prophetia iudeos ingratitudinis in Deum tantorum honorum auctorem. 2. Sacerdotes taxat negligentiae, socordiae et impietatis. 3. Praedit abolidum sacerdotium et sacrificium aaronicum, eique substituendum aliud purissimum et augustissimum, puta sacrificium corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, in eucharistia. 4. Iudeos reprehendit,

(1) Vide *Zachar.* c. 1, v. 2-5.

(2) Vide supra n. 5, 57, 84 et 143.

(5) Epist. 24.

(4) In vita *Malachiae*.

(5) Vide praeced. num. 178, q. 1 de *Aggaei* prophetia.

(6) Vide supra n. 27, quaest. XI de

quod repudiatis legitimis uxoribus, inducant alienigenas. 5. Promittit adventum Christi eiusque praecursorem *Ioannem Baptistam*. 6. Culpat iudeos, quod Deum offendant fraudando, sibique arrogando eius decimas et primitias. 7. Denuntiat extremi iudicii diem, eiusque prodromum *Eliam*, qui reliquias iudeorum convertet ad Christum. Catalogo sanctorum in romano martyrologio adscriptus est *Malachias* propheta die 14 ianuarii.

182. QUAERES I. *Quomodo Malachias in tempore praesenti dicere potuerit* (cap. 1, v. 11): *In OMNI LOCO SACRIFICATUR NOMINI MEO OBLATIO MUNDA*, id est, ut catholici volunt, sacrificium missae; cum hoc non nisi post quadringentos et plures annos post hanc prophetiam a Christo in ultima coena ante passionem suam institutum fuerit? R. Sensum huius prophetiae esse: *Sacrificatur*, id est, *sacrificabitur*, et offeretur brevi (5) per Christum et apostolos. *Malachias* enim inter 12 prophetas minores ultimus, *prophetice* hic loquitur et vaticinatur de futuro. Solent enim prophetae de futuris loqui velut praesentibus, quia illa, etiam longo tempore post futura, divino tamen lumine velut praesentia vident (6).

COROLLARIUM. Turpiter errat *Voltaire* dum in *Tractatu de tolerantia* prophetam *Malachiam* falsitatis accusat, quod cit. loc. (nempe cap. 1, v. 11) illo tempore, ubi omnes gentes idolis serviebant, Deo vero affirmat ubique terrarum mundas hostias offerri. Non enim pro-

prophetis generatim spectatis. Item in eandem rem consulere poteris *Cornelium a Lap.* comment. in prophetas maiores Canon. 4 et 15, inter canones prophetis faciem praferentes, quos hic auctor ante hoc suum commentarium posuit.

pheta loquitur de illo tempore, quo hoc vaticinium edidit, et quo idolatria adhuc in orbe terrarum dominabatur, sed de tempore futuro legis evangelicae, quo cultus unius veri Dei, et purissimum ac augustinum sacrificium missae apud gentes orbis terrarum introductum est; ut ex dictis constat.

Aliam adhuc responsonem ad confutandam illam Voltairii obiectiōnem, teste cl. Weissenbach, afferat auctor epistolarum iudaicarum pagina 288 his verbis: « Haec ratio loquendi (prophetae Malachiae loc. cit.) ob eandem causam non potest nisi vaticinium esse rei futurae. Si quis hebraice sciat, ut dominus de Voltaire haud dubie scit, etiam hoc sciat necessum est, ex indele sermonis eius idipsum TEMPUS, quod significat FUTURUM, adhiberi etiam ad PRAESENS indicandum, et vicissim. »

183. QUAERES II. *An ex citato loco* (Malach. 1, v. 11): AB ORTU ENIM SOLIS USQUE AD OCCASUM, MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS: ET IN OMNI LOCO SACRIFICATUR ET OFFERTUR NOMINI MEO OBLATIO MUNDA, contra iudeos et acatholicos efficaciter probari possit, quod in N. T. detur verum ac proprium sacrificium, quod est incuruentum missae sacrificium? Affirmative. Id enim non solum patet ex concilio tridentino sess. 22, cap. 1 de sacrificio missae ita loquente: « Haec illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit. » Sed etiam ex doctrina patrum graecorum et latinorum, Iustini M., Irenaei, Eusebii caesariensis, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, Damasceni, et ex aliis

argumentis: uti scripturistae comment. in Malach. cap. 1, v. 11, ac theologi in tractatu de ss. eucharistiae sacramento, et missae sacrificio passim ostendere solent. Praecipue de hac polemica quaestione legi meretur cl. Widenhofer commentario in Malach. cap. 1, v. 11, ubi contra iudeos, r. Abarbanel, r. Iarchi, r. Ionathan; item contra acatholicos, praesertim contra Christophorum Matth. Pfaff, eiusque dissertationem Tubingae an. 1749 editam, ac subinde germanice recoclam, prolixo et solide ostendit, in N. T. dari verum ac proprium sacrificium, nempe incuruentum missae sacrificium.

184. QUAERES III. *An ex illis verbis* (Malach. 4, v. 5 et 6): ECCE EGO MITTAM VOBIS ELIAM PROPHETAM, ANTEQUAM VENIAT DIES DOMINI MAGNUS ET HORRIBILIS; ET CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS, ET COR FILIORUM AD PATRES EORUM, solide probetur, quod Elias propheta qui (IV. Reg. 2, v. 11) ascendit per turbinem in coelum, ante diem extremi iudicii venturus sit? <sup>¶</sup> Affirmative. Id enim iam alibi (1) solidis argumentis ostendimus. Iuvat tamen hic tanquam in loco proprio argumentum ex Malachiae citato vaticinio desumptum paulo distinctius evolvere. Itaque sic argumentor. In citato loco Malachiae agitur de die extremi iudicii; simulque asseritur, quod ante hanc diem venturus sit Elias propheta: ergo. PROB. ANTECEDENTIS PRIMUM MEMBRUM ex contextu. Cum enim iudei Malach. 2, vers. ult. interrogassent: *Ubi est Deus iudicii?* Deus Malach. cap. 3, promittit Messiam iudicem, qui redet unicuique iuxta opera sua: *Et tunc videbitis*, Malach. c. 3, v. ult.,

(1) S. Script. contra incred. propugn., V. T., part. 3, sect. 1 de quatuor libris Regum, q. 58, pag. 144.

quid sit inter iustum et impium; et inter servientem Deo, et non servientem ei. At quando videbunt? Respondet Deus Malach. cap. 4, v. 1 (quod in hebreico est versus 19 capituli tertii continuati): *Ecce enim dies veniet, succensa quasi caminus (quo coeli ardentes, et elementa ignis ardore solventur, ut ait s. Petrus in sua epist. 2, c. 3, v. 12): Et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem, stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et germen. Sed hoc in extremo iudicio fiet; ante quod semper remanebunt radices et germina impietatis: ergo. Confirmatur ex citato Malach. cap. 4, v. 5, ubi Elias venturus dicitur, « antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Sed sic describitur dies extremi iudicii: ergo.*

PROB. IAM ANTECEDENTIS II. MEMBR. quod idem Elias, qui per turbinem in coelum ascendit, ante diem iudicii redditus sit. 1. quia textus Malach. 4, v. 5 eum proprio nomine compellat Eliam, et quidem ab officio notum prophetam; LXX interpretes in Vaticano exemplari eum a patria vocant ~~επειτην~~, Thesbitem, cui consensit versio arabica: ergo. Confirmatur ex Ecclesiastici cap. 48, v. 10, ubi idem, qui v. 9 *receptus est in turbine ignis*, dicitur *scriptus esse in iudicis temporum, lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere Christo, a quo apostataverant, tribus Iacob*; quem textum repetens Malachias cap. 4, ait v. 6: *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Et tum veniet Messias secundo, et percutiet terram anathemate, ut Malachias ibidem addit.

184. DICES I. Christus discipulis Matth. cap. 17, v. 10 dicentibus:

Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire, id est, priusquam veniat Messias, respondens v. 12 ait: *Elias iam venit; et intellexerunt discipuli v. 13 quia de Ioanne Baptista dixisset eis: ergo verba Malach. 4, v. 5, Ecce ego mittam vobis Eliam, antequam veniat dies Domini etc.*, id est, antequam veniat Messias, intelligenda sunt non de *Elia Thesbite*, sed de *Ioanne Baptista*. <sup>¶</sup> Christus apud s. Matthaeum loc. cit. non negat, *Eliam Thesbitem* ante extremum iudicium venturum, et de hoc *Malachiam* prophetam verbis illis, *Ecce ego mittam vobis Eliam etc.*, loqui, sed potius asserit, *Eliam Thesbitem* quidem venturum in fine mundi, eum vero, qui spiritu et simili zelo erat *Elias*, nempe *Ioannem Baptistam* iam venisse. Christus enim duos ibi distinguit *Elias*: unum imitatione et zelo, qui fuit *Ioannes Baptista*, praecurrens primum adventum Christi; alterum *Eliam* in persona propria, seu *Eliam Thesbitem*, cuius adventum, ut dixi, non negat loc. cit., sed confirmat vers. 11 dicens: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia etc.* Ubi facit distinctionem inter *Eliam*, qui v. 12 *iam venit*, et inter *Eliam*, qui v. 11 *venturus est, et restituet omnia*. Totus enim contextus ita habet: « *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* At ille respondens, ait eis: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Dico autem vobis, quia *Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quaenamque voluerunt.* » Quibus ultimis verbis Christus Herodem, qui s. *Ioannem Bapt.* occidit, huiusque persecutores indicat.

Ceterum, quod s. *Ioannes Bap.* fuerit *spiritu et virtute, h. e. imi-*

tatione et zelo *Elias*, clare dixit angelus ad *Zachariam* eius patrem *Luc. 1*, v. 17 his verbis: *Et ipse praecedet ante illum* (h. e. Christum) *in spiritu et virtute Eliae.*

185. DICES II. Ipse s. *Hieronymus* (1) in citato textu *Malachiae* cap. 4, v. 5 per *Eliam* intelligit *chorum prophetarum*: ergo non est necesse, eundem textum intelligere de *Elia Thesbite*. CONFIRMATUR. Brücknerus ait, citatum versum 5 sic verti posse: *Antequam veniat dies Domini magni et terribilis*: ergo hic textus non est necessario intelligendus de *die terribili*, i. e., extremi iudicii. ¶ Dist. ant. s. *Hieronymus* cit. loc. per *Eliam* intelligit *chorum prophetarum* in sensu mystico, conc.; in sensu literali, neg. Nam *Eliam* in propria persona sumtum cit. loc. intelligendum esse in sensu literali, clare ibi docet s. *Hieronymus*, ut patet ex contextu, qui ita habet: *Ecce ego MITTAM ELIAM PROPHETAM* etc. « Post Moysen.... Eliam dicit esse mittendum. In Moyse legem, in *Eliam* prophetiam significans.... Lex enim et omnis prophetarum chorus Christi praedicat passionem. Igitur antequam veniat dies iudicii et percussat Dominus terram anathemate... mittet Dominus in *Eliam*.... omnem prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet et Isaac et Iacob, et omnium patriarcharum: ut credant posteri

eorum in Dominum Salvatorem, in quem illi crediderunt. » Ex quibus verbis s. *Hieronymi* manifestum est, eundem in sensu quidem mystico per *Eliam* hic intelligere omnem prophetarum chorom; minime autem negare, sed positive asserere *Eliam* in persona mittendum, antequam veniat dies extremi iudicii, adeoque citatum versum 9 *Malachiae* in sensu literali intelligendum esse de ipso *Elia* in persona propria spectato.

Ad CONFIRMATIONEM. ¶ Et dico, Brücknerum in sua illa versione citati versus 5 non solum menti patrum et interpretum orthodoxorum, sed ipsi etiam *Luther* suo contrariari, qui sic vertit: *Siehe ich will euch senden den Propheten Elia, ehe denn da kommt der grosse und schreckliche Tag des Herrn. Ecce ego mittam prophetam Eliam antequam veniat magnus et terribilis dies Domini.* Similiter contrariatur versioni LXX interpretum, quae cit. loc. habet: *Ιδού ἐγώ ἀποστέλω ὑμῖν Ἡλιαν τὸν προφήτην πρὸι ἐλθεῖς ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην, καὶ ἐπιταῦθεν: Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magna et illustris.*

Item contrariatur paraphrasi chaldaicae, quae citatum versum ita proponit: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, ante adventum diei, qui venturus est a conspectu Domini, magnus et terribilis.*

#### SECTIO IV.

##### DE LIBRIS MACHABAEORUM

Appellantur hi libri *Machabaeorum* a praecipuo religionis vindice, sacrorumque bellorum duce *Iudeo*.

(1) Comment. in *Malach.* c. 4, v. 5.

da, qui primus dictus est *Machabaeus* (2), quod cognomen etiam aliis postea adhaesit. Quid autem

(2) I. *Machab.* c. 2, v. 4.

haec vox *Machabaeus* significet, aut unde derivetur, incertum est. Alii eius originem repetunt a voce hebraea מְכָבֵה *Mecabe*, extinctor, ut significetur, *Iudam* illum fuisse eximium in extinguendis hostibus: alii aliunde (1). Ceterum libri Machabaeorum circumferuntur numero quatuor, sed soli duo priores canonici sunt, reliqui adhuc apocryphi, id est occultae et incertae auctoritatis. Explicant autem, quis status fuerit ecclesiae iudaicae subtertia monarchia, quae fuit graecorum. Sicut ergo libri *Esdrae* et *Esteris* exponunt varios casus synagogae tempore secundae monarchiae, persarum et medorum; ita libri Machabaeorum recensent eiusdem casus tam adversos, quam felices tempore tertiae monarchiae sub regibus Syriae et Aegypti. Hinc ad intelligendos hos libros apprime servint tabulae chronologicae regum Syriae et Aegypti: item summarum pontificum iudaicorum eodem tempore viventium, quas praeter alios exhibet *Fullonius* (2): tabulam autem chronologiam omnium rerum gestarum, quae in IV libris Machabaeorum narrantur, commentario suo in duos II. *Machab.* praefixit illustriss. *Calmet*. Porro si temporis, quo res gestae sunt, habenda esset ratio, primum locum inter quatuor libros Machabaeorum obtineret tertius, cum ea quae quarti aegyptiorum regis *Ptolemaei Philopatoris*, et *Antiochi M.* tempore iudeis contigerunt, enarraret. Secundus locus debetur ei, qui nunc quoque secundus liber *Machab.* est, et continet acta *Antiochi*

(1) Vide cl. *Widenhofer*, aut cl. *Goldhagen*, aliasve in praefat. commentarii in lib. *Machab.*

(2) Ante suum comment. in lib. *Machab.*

(3) Vide *Hermannum Goldhagen* introduct. in s. Script. p. 2, n. 288; et pra-

*Epiphanis* et *Iudee Machabaei*. Tertio loco esset, qui nunc liber primus *Machab.* vocatur, et praeter acta *Iudee Machab.*, insuper etiam fratrum illius *Ionathae* et *Simonis* victorias prosequitur. Quarto loco maneret, qui nunc quartus est, qui que gesta recenset *Ioannis Hyrcani*, filii *Simonis*. Sed horum quatuor librorum sic ordine temporis digestorum primus et ultimus (ut dixi) apocryphi sunt, quod a nullo probato concilio, nullisque patribus in sacrorum librorum canone recenseantur: duo vero medii, qui soli in s. bibliis extant, sunt canonici, ut mox dicemus. Duorum istorum librorum duos esse diversos scriptores a Spiritu s. inspiratos, patet 1. Ex MATERIA; quia posterior liber eadem, quae prior, prosequitur, sed prorsus aliter, nec tamen meminit unquam alter alterius. 2. Ex CHRONOLOGIA, seu anno suppuratione. Quamvis enim tam auctor prioris, quam auctor posterioris libri *aeram Seleucidarum*, seu regni graecorum sequatur, prior tamen assumpsit aeram Seleucidarum *Iudaicam*, quae annos inchoat a mense *Nisan*, qui fere martio nostro respondet: posterior vero aeram Seleucidarum *Antiochenam* seu *Alexandrinam*, quae annos toto semestri serius inchoat a mense *Tisri*, qui in septembrem nostrum (3) incidit. 3. Ex STYLO ET PHRASI, quae in I libro *Machab.* hebraeum idioma redolet, in II libro idioma graecum. Qui tamen fuerint isti duo scriptores hagiographi, non liquet (4). Id solum certum et manifestum est, quod scriptor licet *Fullonium* comment. in I *Machab.* c. 4, v. 41.

(4) Verosimilis Scriptor I. *Machab.* fuit unus de primariis hierosolymitanis sacerdotibus, et (ut *Bellarminus*, *Sanctius* et *Nierenbergius* existimant) *Ioannes Hyrcanus* filius *Simonis*. Scriptor vero